QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS mane discutienda in Scholis Medicorum die Jovis quarta Decembris.

M. PAULO COURTOIS, Doctore Medico, & Professore Regio, Præside.

Extántne quæ vocant specifica medicamenta certarum ægrotationum, partiúmque propria, certarum labes?

I.

MEDICAMENTORUM nec unus est ordo, nec ætas, nec ratio una. Hujus nominis ambitu continentur, & quæ tantummodò immutant, & quæ ab excrementis liberant corpus. Hæcque aut quarumvis sordium ejectionem promovent; aut quod oneri est, nonnisi vomitu, vel dejectione abigunt: aut tergendo, molliendo, &c. alvum solvunt: aut odiosâ, virosâ, etiam venenatâ vi nunc clementer, nunc validiùs, nunc effrænatè lacessendo Naturam adigunt ad germanam purgationem. Gradúsque in illis multi. Coæva quidem elementis omnia. At non illico doctrinâ eminentibus cognita. Olim, ut erat simplex è simplici victu valetudo; erat & Medicina (integris vix necessaria) paucarum herbarum; uti nunc paucorum hominum scientia, ad Naturæ normam directa. Simulatque pars magna mortalium in intemperantiam se effudit; crevit cum morbis medicamentorum numerus, operosáque compositio; cœpit & arti quidquid orbis capit includi, artificibus quæstum, noménque venantibus. Ceu nempe non

ſufficerent, ſorderéntve explorata illa, facilè & ſine fuco paranda, quæ ſupinâ terrâ edita nullo leguntur impendio: nihil non ex hujus viſceribus, altóque mari quantumvis obrutum eruit ſerior ætas. Indéque turba foſſilium igne multo vexandorum, triſti fere exitu. Hinc ejectamentis; cupediæ, veneníſque additum.

I I.

ACCESSERE ludificationes Veteratorum ſua jactantium arcana remedia morbo iſti elidendo, huícque firmandæ parti unicè, ut aiunt, comparata; quibus ineſcati homines plerique nobiles, & plebeij, Naturæ ignari, totos ſeſe dant; tantus amor vitæ; ſed quam ſtultè Fungis creditæ. Eundem errorem combibêre Medicorum ſimioli, ſeu Vafrorum imitatione, ſeu populari opinione, velut à torrente abrepti. Et hoc in luto hæſitant creati unâ horâ medicelli complures, vulgi levitate ſpectati; non artis prudentiâ, quâ non mediocri eget excuſſurus eorum quæ nos mutant, & à nobis mutantur, diſcrimina omnia. Quippe alia notis viribus; latentibus aliqua; ambabus agunt reliqua. Pervulgatis, quæ nihil aliud quàm immutant. Occultis venena, & medicamenta manifeſtâ qualitate carentia. Utriſque medicamina apertè calida, viventíſque diſſimilia alimenta. Patiuntur verò ſimillima. Et è poteſtatibus abditis ortæ ab eo quo res quævis eſt (cui & ſemper affixæ) totam comitantur ſpeciem: ita Lupum fugit Ovis quælibet; nulla non torpedo, ſi qua, ſtupefacit. Secus aliæ, interdum fugaces, quæ ſi non ab utero, à propria ſunt uniuſcujuſque temperie, & materiæ apparatu; Ejuſmodi allii, roſæ, caſei, felis odium, quod paucos tenet homines. Atque his, illæ ab humana cognitione remotiores.

I I I.

RES eſſe quaſdam totâ ſubſtantiâ, nobis amicas, inimicas; in multíſque reſidere potentiam, cujus natura, probabilius conjici, quàm perſpici queat, vix ulli ab uſque primis ſæculis ſapientes negarunt; At nonnullis ineſſe ſingularem partis unius juvandæ, malíque profligandi, Epilepſiæ, v. g. exterminandæ, calculi obterendi, & ſimilium facultatem; ij ſoli affirmarunt, qui necdum ſapientiæ fores pulſa-

rant. Optanda res Medico, nullâ methodo, nisi dextro illarum usu opus habituro, ægrotúmque omnem suâ semper invaletudine exempturo: quod absurdissimum ratio, sensúsque palam refellunt. Quæ scilicet naturâ agunt, nunquam, nisi opposito obice, ociosa, vim suam quantam possunt, continenter exerunt, in obvia quæ attingunt omnia. Neque eorum more quæ ratione utuntur, res objectas internoscunt, illis parcitura; has ubi, & ut collibuerit, adorsura. Quanquam propinquas priùs atque efficaciùs, quàm longè dissitas impetunt. Hoc tam evidens in igne, quæcunque circumstant invadente, vorante; quisquis pharmacis à viventis calore ad opus perductis insitum abnuit, vecors est. Hepatica igitur, stomachica, splenica, &c. malè sustinent, quod à partibus, quibus prodesse feruntur; nomen adepta sunt.

IV.

HAC quæ moderatè calent, incîdunt, tergent, ac stringunt, vera sint ob eam rem hepatica, quòd sic attemperata, vasa jecoris obsepta expediant, temperiem foveant, suâque, ceu fabulantur, adstrictione corroborent; quidquàm ne obstare potest, ne & ipsismet qualitatibus reliquum corpus imbuant? Sint quæ ventriculum recreent, & hæc velis nolis cor, jecur, cerebrum recreabunt. Equidem inter partes, aliquæ plus allevantur cæteris, quoniam aliis, aliæ mutari magis aptæ sunt. Nimirum quod agentis causæ impetum excipit; non pro illius; sed pro sua natura excipit. Hinc idem calor dum hæc indurat, illa liquefacit. Veluti cibi, licet ex iis aliqui parcè, alii strenuè alant; illísque ossa, nervi; his carnes lætiùs adolescant; omnes tamen viventi sunt admodum utiles: sic quorumvis hominum jecoribus utcunque temperatis conveniens pharmacum, non potest non etiam conferre ventriculo, reliquísque corporis ejusdem partibus. Nisi placet à jecore haud malè habito magis temperatione diffidere ventriculum, quàm ab invicem jecora diversorum hominum.

V.

NEC medicamenta existunt ulla uni tantùm corporis parti amica; nec uni soli infensa aliqua. Statim atque hæc ventris calore soluta sunt; quas in sinu gerunt noxias vires quoquoversus emittunt. Neque in hanc, quia ini-

micior, quàm in illam atrociùs sæviunt; sed quoniam ad ipsam sinceriora perveniunt, ipsíve diutiùs adhærescunt; vel quòd illa magis injuriæ pateat. Neque ad eam quam præcipuè violant, sponte suâ commeant. Viso hoste, vel rei cujuspiam indigentiâ locum mutare possunt, quæ habent in se motus principium, quo penitus defecta sunt mortua medicamenta. Sed nec à partibus attrahuntur. Virtutem hæ omnes obtinent, quâ succum sibi familiarem alliciant, & quæ molesta sunt, à se propellant: non quâ prolectent; sibi alioqui perniciem conflaturæ. Fidei non minùs extorquet sumptum à rebus documentum. Quas fortè citabis cantharides, adeò voratæ vesicam, quam certè quidem discindunt, non solam dilacerant; ut morte, aut diris ab ore ad anum ulceribus plectant. Vel exteriùs admotæ, cutem deripiunt. Etiamne perâ & manu detentæ cruentum lotium concitant? Somnium planè ludicrum. Sitne par ratio cæterorum, si quis aliquantulum dubitat, periclitetur.

Non igitur extant quæ vocant specifica medicamenta certarum ægrotationum, partiúmque propria, certarum labes.

Domini Doctores disputaturi.

M. Joannes Baptista Renatus Moreau, Professor Regius.
M. Nicolaus Pelletier, Chirurgiæ Professor.
M. Renatus le Comte.
M. Franciscus Afforty.
M. Nicolaus de Jouvanci.
M. Germanus Preaux.
M. Guillelmus Petit serenissimi Delphini Principis primarius Medicus.
M. Rolandus Merlet.
M. Claudius Perraut.

Proponebat Lutetiæ PHILIPPUS DOUTE', Parisinus Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1687.

PARISIIS,
Apud Franciscum Muguet, Regis, & Facultatis Medicinæ Typographum.